2991 (10)

Responsio

AD EXAMEN IGNOTI PATRONI VERITATIS DE PVRgatione Sagarum per aquam frigidam;

Auctore

GULIELMO ADOLPHO
Scribonio Marpurgensi.

FRANCOFURDI
Apud Joannem Wechelum.

M D XC.

~~11405468~~
4.5513
BK

ORNATISSIMO ET OMNI LITERARUM ET VIRTUTUM GENERE, CONSPICUO VIRO

Dn. Danieli Khuen, illustrissimæ matronæ ac dn. Dom. Barbaræ, Landtgraviæ, & Comitis Waldeccensis, &c. Secretario.

SI quod unquam hominum genus uir multis virtutum generibus ornatissime & honestissime odiosum, & detestabile fuit, id certé sine culpa esse non potest, adeoq; non levem reprehensionē meretur, quod, cúm rebus utilioribus reipublicæ prodesse nequeat, aliorum tantum dictis, scriptis, negotiis, aut laboribus aliis etiam optimis sugillandis, & sine ulla ratione reprehēdendis occupatū est. Scelestum hoc & detestandum plane hominum genus est, atq; terrarum pondus inutile. Ex horum numero nuper etiam prodiit Ignotus quidam nomine patronus veritatis, examen quoddam suum contra secundam partem physiologiæ meæ de Sagis ex adhortatione alterius cujusdam Pistandri perscribēs. Quo certè nomine, si ullis

rationibus examinis sui quæstiones demonstrasset, confirmasset q3: non potuisset non à plerisq3 plurimúm commendari. Verúm cúm manifestißimæ experientiæ, nullis in medium adductis firmioribus argumentis repugnet, neq3 quidquam novitatis, vel etiam utilitatis proponat: omnino utiq3 culpandus mihi videtur. Disseruera mego in tribus libellis De natura & effectis Sagarum, itemq3 de signis & debita pœna earundem; & copiosé inprimis de purgatione per frigidam, de qua paucis abhinc annis disputari in hisce potißimũ regionib. nostris cœptum esset. Quid enim animus noster, & cujus rei causas cognoscere non gestiret? Et cur hanc maximé purgationem nõ admiraremur? Res enim hæc est admirationis plenißima, adeóque summopere stupenda. Videmus namq3 certam hujus & minimé adhuc in ullis exemplis inconstantem experientiam: ut ne una quidem inter tam multas Sagas in examine suo aquis supernatantes reperta fuerit, quæ deinceps uel spontanea, ut coacta seu civili quæstione examinata non protinus etiam testata sit, se plerorumque quorum argueretur ream esse. Atveró patronus ille quem dixi, quamvis Sagarum examini nũquam interfuisset: haud tamen veritus fuit, illud quibuscunq3 posset modis ridere, respuere, & suum illi inutilißimum, ut apparebit, opponere:

cæteris

cæteris quas in libello meo proposueram disputationibus longé utilioribus prætermissis. Quoniam igitur, si res in scripto eius pertractata consideretur, vix ulla dignum responsione videbatur. Paucissima namq; proferri observabam, quæ in hoc negotio Sagarum non etiam ab aliis anté disputata fuissent, eaq; levia, & nullius ad articulos contestationis nostræ refellendos ponderositatis: Attamen ut iis, qui physiologiam fortasse meam legissent, nihil ad pleniorem eius intelligentiã, cognitis etiã ex Ignoto adversariorũ disputationibus deesset: á bonis viris denuó permotus, respondere homini malevolo minimé fui gravatus. Pistandri ueró scriptum tale est, quod omnes boni & eruditi nulla responsione dignum censebunt. Has responsiones tibi ornatissime & honestissime vir dedicatas volui, quod tu aliquoties examini Sagarum interfueris, ideoq; de illo facilius quam alii judicare didiceris. Nosti enim vir spectatissime amantissimeq; quanta cum plurimorum aspectatorum admiratione superioris anni 89. die 8. Octobris, quædam veneficii rea fœmina, nimirũ Dorothea Stephani Dhonnen, pagani cujusdam ex oppido Netz prope Walderiam ex mãdato Illustrissimæ & Generosissimæ matronæ ac dn. Dn. Barbaræ Landtgraviæ, & Comitis Waldecensis, &c. dominæ nostræ clementiss. in vicinia cœmbii Berich ter

in Oderam fluvium projecta semper illius superficiei innatarit: quæ deinceps suapte sponte plurima scelera confessa est, ideoq; tandem concremata est. Et postquam hæc jamdiu absolvissem, & typographo imprimenda obtulissem, nuper quoq; duas alias 7. Aprilis anni huius 90. in idem flumen eiusdem purgationis gratia conjectas itidem submergi etiam summo conamine nitentes, submergi non potuisse observasti: prius alia quadam integra vitæ scelerisque pura, & quæ inculpatæ vitæ esset ibidem eodem modo vincta examinataque, ut tanto certior purgationis ejusmodi ratio cunctis innotesceret. Ea siquidem ter in istam aquam conjecta singulis vicibus protinus in fundum subsidit atque submersa est. Reliquæ autem duæ quæ suspectæ erant, se abscondere quidem conabantur, sed nunquam tamen sub aquas ferri poterant, ut nemo non qui hæc videret summopere demirari coactus sit. Tertio quoque hæc nomini tuo inprimis inscripta sunt, ut tuam erga me humanitatem, benevolẽtiam quã me annos aliquot prosecutus es, cunctis etiam aliis apertè declararem. Singularis enim animi tui candor, probitas, sinceritas & omnimoda virtus te satis superque Waldeciæ incolis hucusq; commendarunt, ut si copiosius aliquid hoc in loco de iis dicere pergerem, adular potius quám veritatem asserere viderer.

viderer. Accipe igitur hoc qualecunque grati animi munusculum. Quod si tibi non displicuerit, aliquando majora tibi offerenda á me expectabis. Datæ Corbachii, Anno 90.

T. H. & E.

addictiss.

Guiliel. Adolphus,
Scribonius.

Responsio
AD EXAMEN IGNOTI PATRONI VERITATIS
DE PVRGATIONE SAGARVM per aquam frigidam.

CAP. I.

Quod adversarios mortuos lingua aut calamo contumelioſe perſtringere, philoſopho indignum ſit.

AD EONE ingenuum & liberale putaſti eſſe, Patrone quiſquis es Scotophile, aliorum nominibus & æſtimationi quod debetur detrahere, eorum've laudes imminuere: ut quadruplatoris officio perfuncturus alios accuſare, quã illis ipſis patrocinari & veritatem ab ipſis propagatam defendere malueris? At hæc crede mihi ingenuitas nulla eſt, hoc liberalis ingenii documentum nullum eſt. Quadruplator omnis olim capitalis fuit, neque adhuc dum ullibi locorum laudari poteſt. An certa mercede conductus es ut hoc faceres? Non tamen opinor, dimidiam partem bonorum illius quem accuſaſti, veterum more tibi ceſſiſſe. Aut cur quæſo paſſus es tam facile à Piſtandro tuo tibi perſuaderi, ut in examine tuo alium calumniis potius perſtringeres, quam cãdido & philoſophico animo examinares? Anne tã illiberali tuo ſtudio & actionibus indecoris immortalitatẽ quærere ſatagis?

At

Ahęc gloria eſt, qualis fuit Dionyſii Epheſianũ olim templum incendentis. Bonus certe & eruditus quiſpiam homo neutiquam hoc facturus fuiſet. Ætate quoque conſtantem & prudentem maximoperé eius puduiſſet. Imperiti igitur adoleſcentis, & illiuſmodi, quem dixi, quadruplatoris hoc totum quod inſtitutum fuit, examẽ eſſe colligo. Examen ſiquidem inſcribitur, Phyſiologiæ Scribonianæ de purgatione Sagarum per aquam frigidam. At uerò inquies, propoſita eſt in eo inquiſitio veritatis de iſta materia, ut Etymologiam tui nominis præ ſe ferre apparet. Et hoc ipſum quidem ſi ita ſit, non poſſum non vehementer prædicare. Veritatem univerſi amare, ſectari, & in omnibus noſtris dictis, ſcriptis & factis ob oculos ſemper poſitam habere debemus: etianſi monente Terentio, plerunque odiũ parere bleat. Veritatis igitur Patroni minimé reprehendendi ſunt. Sed cur tu ignotus eſſe maluiſti ilius patronus, quám notus omnibus & manifeſtus? An quoniam in inquiſitione veritatis, leges illas quas ſanciviſti, temetipſum, ob ſummam animi malitiam nequaquam ſervare potuiſſe vidiſti? An quod indignum tua perſona putaſti, quod feciſſes, ſi alii reſciſcerent, & tamen intermittere non potuiſti, ſecũdum Medeæ illud, Video meliora proboque, Deteriora ſequor, &c. In ſcholis philoſophorum ais permiſſum fuiſſe, ab aliis diſſentire: hac tamen lege, ut á defenſione falſi dogmatis pertinacia, á diſſenſione affectus abeſſet: affectus ſcilicet, odii, iracundiæ, infamiæ. Atqui legem iſtam, ſi quam aliam te minimé omnium ſecutũ fuiſſe deinceps

clariſſimé patebit. Et hanc ipſam ob cauſam opinor, nomen tuum aperte palam profiteri noluiſti, lucemque & conſpectum literatorum hominum fugiens in publicum prodire non auus fuiſti. Veruntamē ignotus & obſcurus ſis, quandiu eſſe voles. Lucem ego non abhorreboquam. Et quiſquis ſis: rem tamen, ut fatear, non omnino ingratam feciſti illis qui phyſiologiam meam de Sagis lecturi ſunt, dum argumētis contrariam in illius partem propoſitis evidentiſſimé demonſtraſti, uter noſtrum, meliorē de purgandis Sagis ſententiam tueatur. Dum, inquam, argumentis vel minimúm demonſtrabilibus & firmis quæſtionem noſtram ſive theſin impugnas potius quám expugnas & everis: illa ipſa quæ ſcripſimus tandiu rata certáque habebuntur, uſque dum firmioribus & clarioribus demonſtrationibus, quám abs te allaæ ſint, refutabuntur. Sed hiſce præteritis, exanen tuum intrepidé & alacri animo ingrediemur: audituri, quo modo & qua ratione phyſiobgiæ noſtræ partem de purgatione Sagarum per aquam frigidam examines. Prima quæſtio ſeu caput primum tui examinis eſt, qualem ſe philoſophus in redarguendis adverſariis prębere debeat: cui additur, quod cúm mortuis non ſit luctándum. Cujus capitis ſententiam ego lubentiſſimé concedo, & neutiquam improbo: jamdiu equidē ipſe à Cicerone edoctus, In omnibus diſputationibus contentiones rixasque fugiendas eſſe, ne odio vel invidia alicuius flagrantes ſpectemus potius dicentem, eumve reprehendere videamur, quā ea quę dicta ſint. Si autoritas vel amicitia, vel

gratia

gatia differentium nihil contulerit ad contestationem veritatis, ut ante Ciceronem vetustissimis temporibus Socrates apud Platonem rectissimé indicauit: multó minus livor, invidia, vel odium aut similis aliquis animi affectus faciet, ut quod verum sit, proponere studeas. Qui enim alterius nomini, honori, gloriæ aut famæ invicet, aut illa quæ dixi odit, quid quæso contra eum cui invidet, nisi fictum falsumque dicturus est? Absque affectibus igitur istis omnia disputanda sunt, ne quidvis potius aliud, quàm veritatem respicere videamur. Quod autem tu quoq; inter cætera eundem in sensum addidisti: non deesse, qui in id unum operam dant, ut iis quos odio prosequuntur, vel rectè sentientibus canino more oblatrent, & quicquid ab iis bene dictum est, id pravis interpretationibus vitient: hæc enim tua verba sunt. In quem quæso alium eo jure quo in teipsum erit retorquendum? qui usque adeó cum Pistandro tuo te invidum mihi præbuisti, ut cúm aliis argumentis sufficienter haud posses, ex corporis mei temperamento scriptorum meorum infirmitatem desumere, arguere & convincere non erubueris. De quo tamen deinceps sigillatim videbimus. Altera verò pars primi capitis prolixé disputat & concludit cum mortuis non esse luctandum, eosq; non esse dehonestandos: quam & ipsam examinis tui partem veré propositam esse fateor. Mortui siquidem viventibus, quacunq; ratione ab iis molestentur, respondere, contradicere, ullóve modo resistere nequeunt. Mortuos igitur jugulare aut in cadavera eorum, instar Persarum, ferro

laqueóve denuo ſævire, inglorioſiſſimum eſſe cenſeo. An autem idcirco defuncti alicujus eroneam opinionem apud eos qui illam defendere pergunt, refutare & errorem iis commonſtrare non licebit? Utrumne ignominioſum hoc eſſe dicemus? Ignominioſum potius & inhoneſtum habeatur, vel defuncti alicujus qui nobiscum familiariter vixit, vitiis erroribuſque connivere, patrocinari, aſſentiri, vel non refellendo illos ipſos quaſi approbare, & pro veris apud alios propagare. Quod ſi hoc vitioſum ideoq; minime permiſſum ſit, quod dixi, contra defunctos quidpiã ſcribendo agere? idem illud omnium fermé Academiarum ſcholarumque doctoribus atq; magiſtris etiam graviſſimis atque doctiſſimis, qui ſcriptis ſuis reipublicæ literariæ prodeſſe cogitant, vitio vertendum fuerit. Quid enim frequentius eſt in philoſophorum ſcholis, quam Platonicos Ariſtoteleis, & hos viciſſim illis contradicere? Quid apud Theologos in Eccleſiarum quoque ſuggeſtis uſitatius eſt, quam alios contra alios, uel longo etiam ante temporis intervallo defunctos docere? Ubi inter aliquot millenos uix unius laudes, plerorumque veró, á quibus concionatores illi diſſentiunt refutationes, utinam non etiam ſæpe odioſiſſimas calumnias audire liceat. Hoc inquam modo ab aliis diſſentire licet, eorumq;, ſi maximé paucis ante diebus nobiſcum vixerint errores quos in vita ſua apud noſtros ſparſerunt caſtigare, obſervata interim diligentiſſimé Ciceronis 1. De finibus admonitione: Diſſerentium, inquientis, inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperãdæ: maledicta,

ledicta, contumeliæ, tum iracundiæ contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indigna mihi philosophia videri solent. Quã Ciceronis sententiam Torquatus qui cum illo disserebat, rectissimè approbavit. Eundemque in modum neque ego, ut iterum Ciceronem sequar, pertinax ero, tibiq; si mihi probabis ea quę dices, libenter assentiar. Fieri certe non potuit, ut iis qui contra Epistolam meam de Sagis scribentes vitiosissime eam interpretati fuissent, etjam non sine maledictis, & contrariam suam opinionem absque ulla certitudine, ullisque firmis argumentis in medium adduxissent, non responderem. Et ex horum numero, si quis interea temporis diem suum extremum obierit, non idcirco totum meum scriptum viventibus adhuc aliis inutile futurum arbitror. Quamobrem Scotophile quid testimoniis Poëtarum abs te productis opus fuerit in hanc sententiam, non video. Longe aliud quám quod tu proponere cogitasti, illi demonstrant: docentes nimirum in mortuorum cadavera amplius non esse sęviendum. Neque unum exemplum vetat, contra mortuos, si quid vitiosè docuerint, ulterius aliquid scribere. Quid quod in versu quoq; Ovidiano quem citasti, *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit*: livoris nomine intelligitur privatum personarum odium, privata quædã simultas & invidia? quæ scilicet protinus post obitum eorum erga quem fuerunt, tollenda præcipiuntur: non autem vitiosæ pernitiosæque alicujus doctri

næ censura sive examinatio aut etjam reprehensio prohibetur.

Cap. II.

De physiologia Scribonii ante obitum Ewichii in publicum emissa.

Altera examinis tui quæstio sequitur: ubi in Ewichium petulanter me debacchatum esse significas, ipso iam mortuo physiologia mea de Sagis in publicum emissa: ut nimirum quod ante dissertuisses, in me propriè converteres, meque illius reum argueres. Sed iterũ jure examinandus es, quibus argumentis hanc tuam, ut vocas apostrophen demonstraturus sis, quam mihi ob oculos ponendam perpendendamque offers. Eorum, inquis, quæ proposuissem, nihil á me ipso alienum esse. At quibus, inquam, rursus argumentis hoc ipsum declaras? Primo ais me erroris de causa supernatationis Sagarum à viris eruditissimis commonefactum, acerrimum nihilominus eius adhuc præbere propugnatorẽ. Sed qua Logica magistra eo ipso quod nondum vel minima ratione probasti, quod incertum & omnino dubium est, & de quo adhuc dum ut ajunt sub judice lis est, aliud quidpiam certó ostendere aut comprobare poteris? Errorem nominas: erroris verò causam nondum declarasti. Et si maximé in istius supernatationis explicatione aliquem commiserim, errare siquidem humanum est: utrum'ne idcirco concludetur me in mortuos debacchatum esse? Scribonius propugnat errores Aristotelis, Galeni, &c. Ergo in mortuos petulanter debacchatur, & mortuos denuo necat. Si huius mihi consequentiæ rationem

nem dederis, Scotophile, certam & constantẽ: ego viciſſim firmiſſimis argumentis Solem in mundo nullum eſſe docebo. Secundum argumentum quod attuliſti æqué ut prius illud irritum & inane eſt, imo tam inſufficiens & proposito tuo tam inconveniens, ut nihil unquam ab ullo vel imperitiſſimorum philoſophorum abſurdius ineptiusque dictum eſſe, ſanctiſſimé affirmare auſim. Me, ais, Scribonium in Oleviani & Piſcatoris Dialecticas commentationes qui ne verbo quidem unquam me læſiſſent, illiberaliſſimé calamum ſtrinxiſſe. Eſto ſane. Ergóne mortuos me iterum enecaſſe ſequetur? Tempellus, Beurhuſius & alii Dialecticæ Piſcatoris in vita ſuperſtitis contradixerunt. Ergo in mortuos debacchati ſunt. Quónam amâbo examinator acutiſſime, Logicæ inventionis argumento hoc ipſum evinces? Dic quæsò & eris mihi magnus Apollo, Calamum ſtringere in Dialecticam Piſcatoris & luctari cum mortuis quomodo inter ſe affecta ſunt? quáve conſenſionis rerum forma inter ſe cohærent? Quale, inquam, rei abs te ad arguendum propoſitæ argumẽtum eſt? Eſt'ne é cauſis, eſt'ne ex effectis, an' vero é ſubjectis vel adjunctis? At certé calamum ſtringere in Dialecticam viventis Piſcatoris neque cauſa, neque effectum, neq; ſubjectum, vel denique adjunctum eſſe poteſt ullius ſævitiæ ſive crudelitatis aut luctationis in defunctos homines. Neque ex ullo alio argumento, niſi novam & ante hæc tempora incomprehenſibilem Logicam finxeris Enthymematicæ tuæ argumentationis conſequentiam deducere poteris. Cur

igitur non insulsissimam & ne quo asperiore vocabulo utar, imperitissimā illam jure dicerem? adeóque ex omni parte dispositionis similem illi qua concluditur capram saltantem esse sponsam: aut qua dicitur, Baculum in angulo stantem esse Angelum. O logicum plane insipidum! Equidem Joanni Piscatori contra quem hactenus in Logicis meis scriptis disserui, optima felicissimaque semper omnia optata cupio: attamen præterire hactenus non potui, quin animadversionibus illius logicis, quia ex communi quod omnes quęrere & promovere debemus commodo esse videbatur pro ingenii mei tenuitate responderem. Is igitur si quam illiberalitatem in calamo meo deprehendit, ipsemet de ea me certiorem reddere poterit: aut si tu illius partes tueri voluisti, tibi quoque demonstranda fuit. Dixisti Olevianum & Piscatorē ne verbo quidem unquam me læsisse, scilicet ante disputationes nostras logicas. Fateor. At læserat uterque plurimum veritatem Logicam. Et illa mihi omnibus modis defendenda fuit. Sed progredior ad argumentum tuum tertium, antecedentium haud dissimile, quo scilicet contendis me quoq; NeuWaldum qui ad sāniorem mentem me revocasset, quod tamen & ipsum nondum veré comprobasti, insolenter exagitasse. Sit ueró si ita velis, quod tibi dare non possum: attamen hoc ipso minime gentium efficies quod in principio constituisti. Quartum veró quod deinceps abs te additur, si firmiter in omnem perennitatem demonstraveris, tum utique fateor propositum tuum tenebis. Hoc igitur sigillatim plenius examinan-

aminandum erit. Me, ais, EWichii manes insolenter derisisse. Atqui te petulantissimis verbis (tua solummodo qua cõtra me locutus es, phrasi utor ut facilius ei ignoscas) hoc ipsum mihi obtrectare per illibatam meam conscientiam sanctissimé iuro. Quæ contra EWichiũ & NeuWaldum pariter meditatus eram, eo tempore quando primúm scripta sunt, præter alios qui mihi tum temporis Corbachii adfuerunt, viros fide digniſſimos vidit clarissimus vir Dn. Lazarus Schonerus, tum omni alia doctrina eruditissimus, tum in Mathematicis exercitatissimus; vidit, inquam, anno ante integro quam in Rectorem scholæ Herborneæ eligeretur. Viderunt & alii plurimi. Quomodo igitur & qua audacia tu affirmabis, post obitum primó EWichii meos libellos á me conscriptos esse? aut etiam ut in Epilogo deinceps tui examinis addidisti longe post illius obitũ typis impressos esse? Dices quidem sed parum probabis. Equidem sané physiologiam meam de Sagis primúm conscriptam divulgare publicé nolui. Postea veró á graviſſimis doctissimisque viris & ad gubernacula rerumpublicarum sedentibus aliis persuasus, eam typis imprimendam viro honestissimo Paulo Egenolpho Marpurgensi Typographo obtuli Anno 87: in ea septimana qua Marpurgi haberi & celebrari solet Mercatus divæ Elizabethæ. Testes hujus rei, si producere necessum esset, qui cum Egenolpho præter Joannem Treutlerum quendam apud me tum temporis fuerunt, nominare possem plurimos. Typographus autem ille cúm editionem physiologiæ meæ nescio ob

quæ impedimenta procraſtinaret, aliquoties á me per literas Corbachio monitus ut promiſſo ſuo ſatisfaceret: tandem in ſequente æſtate media exemplar illius ad me mittit, & hoc quidem adhuc imperfectum, ut viderem ſi bené uel ſecus ſuis typis impreſſiſſet: ſicuti literis illius absque omni controverſia evidenter teſtari poſſum. Quod cũm oſtenderem nonnullis, ibi tum demum ſignificatur mihi, ante unum atque alterum menſem Bremæ EWichium pié defunctum eſſe. Tum autem quæ ſcripta erant de illo, neutiquam ut tu autumas corrigi potuerũt, cúm publicé divulgata eſſent. Quamobrem nemo opinor me ullius cum defuncto luctationis ueré arguere poterit. Ego omnibus modis optaſſem ipſum EWichium reipublicæ tum literariæ tum politicæ diutiſſimé vixiſſe, & in vita ſuperſtitem phyſiologica mea de Sagis ſcripta metipſum vidiſſe. In eum enim potiſſimum parata erant. Sed cúm Deo præpotenti Iehovæ, cujus voluntati nemo mortalium reſiſtere poteſt, aut contraria petere debet, aliter viſum fuerit: nos ejus providẽtia acquieſcere oportet, neutiquam dubitantes, quin in die noviſſimo ad omnium beatorum ſocietatem EWichius reſurrecturus ſit. Verum enimveró, inquies, Scotophile, neque in viventẽ aliquem talia meditanda & proclamanda fuiſſent. Quis igitur quæro philoſophorum tam inſignes & notabiles in diſſerente aliquo errores approbaret & commendaret? Equidem ſane illis aſſentiri non potui, ne offendiculo eſſem plurimis liberaliſſimis ingeniis; eorum ſcilicet qui me per aliquot annos artẽ rationis, quæ

modum

modum tradit rectè disserendi, docentem audivissent. Si verò tacuissem, illos omninò approbare visus fuissem. Quocirca etiam qualiscunq; honos alius EWichio ob senectutem omnibus venerandam & multiplicem eruditionem habendus esset: errores tamen ejus, quos in artes præcipuè logicas commiserat, postulante veritate reprehendendi meritò fuerunt. Et hisce perceptis, facilimum erit lectoribus cognoscere, teipsum pertinaciæ, contentionis & virulentiæ quos mihi exprobras morbis lethaliter correptum esse. Nemo qui candidè ingenuéque, ut decet, scripta mea examinaverit, me pertinacem uel contentiosum, multò minus virulētum pronunciabit. Alias potius & reipublicæ utiliores in examine tuo propositas quæstiones lubenter audivissemus, quàm rixas ejusmodi, quas in duobus hucusque capitibus tuis absque ulla necessitate mouere non erubuisti.

CAP. III.

De modo explorandi Sagas per aquam frigidam.

TERTIA examinis tui quæstio est, de modo injiciendi mulieres Magicas in aquam frigidam, & ibidem illas ipsas explorandi. Sed hic cùm lippis, tùm tonsoribus, ut ajunt, ubiq; nunc in hisce terris notissimus factus est. Et si forsan manifestus haud esset, satis tamen abundè & in Epistola, & deinceps in physiologia nostra de Sagis copiosè ostensus & indicatus est: ut minimè necessum fuisset, illū in examine tuo seorsim reperi

Cap. IIII.

Utrum modus explorandi Sagas per frigidam superstitiosus & diabolicus sit.

IN quarto demum capite ad rem ipsam progrediens anté á nobis definitam exploratione Sagarum, superstitiosam & Diabolicam ac proinde incertam & fallacem esse, contendere cœpisti. Et hîc certe cardo totius tui examinis volvitur. Si hanc examinis tui quæstionem benè tueri rectéque defendere posses, omnia quæ nos in illam aut de illa hucusque conscripsimus per se opinor corruitura essent. At talè quid á te fieri posse, hoc opus, hic labor erit. Videamus igitur disputationum tuarum argumenta, si quæ Ewichianis NeuWaldianisque firmiora certioraque in medium adducas. Explorandarum Sagarum experientiã, inquis, á superstitione potius, quám quavis alia occasione originem duxisse. Quo autem argumento hanc assertionem tuam declaras? Divinitus utique ais revelatam aut præceptã illam esse, nullis testimoniis ex sacris literis tanquam unico veritatis fonte petitis, tibi unquam confirmari posse. Idem veró hoc etiam ante ab EWichio, á NeuWaldo & aliis pluribus mihi objectum esse memini: eique contra copiosissimé á me in physiologia mea responsum esse puto. Quid enim quæso? An idcirco innatationem Sagarum in aquis superstitiosam & Satanicam esse dices, quód in sacrarum literarum monumentis non descripta, non præcepta, non demãdata sit? An iterum inquam negabis Sagas aquis innatan-

innatantes non ſubmergi, quoniam in ſacris Bibliis nihil de eo perſcriptum expreſsé legatur? Veré quidem hoc dici potuiſſet, ſi ante comprobatum fuiſſet, quicquid in ſacris literis verbotenus non demandatum ſit, id ſuperſtitioſum omne & impium eſſe. Sed quis amâbo cunctas rerum naturalium affectiones in illis ipſis comprehenſas & deſcriptas eſſe aſſeverabit? aut contrá nihil in rerum univerſitate contingere poſſe, quin in Bibliis ante definitum aut etiam præceptum reperiatur? Indus'ne aliquis aut Alabandus aut Aphricanus, ſciens aurum, cuprum aliaque mineralia plura in calidiſſimis ſuis regionibus provenire, negaret protinus terram quoq; Waldeccenſem talia producere, ſi non ipſe oculis ſuis terram illam vidiſſet? Aut qualis hæc ejus argumentatio foret, ſi dicturus eſſet: Terra Waldeccenſis ex natura ſua non profert metalla, quę creſcere alioqui ſolent in ferventiſſimis regionibus: quoniã de ea nihil tale in ſacris traditum conſtat? Probabile quidem quod aſſeruiſti, Scotophile videri poſſit, ſi DEI propoſitum fuiſſet in Bibliis rerum omnium naturas deſcribere atque exponere. Aſt aliud DEI in illis propoſitum, aliusque ſacroſanctorum illorum librorum finis eſt. An'vero negabis Sagas eſſe ſubſtantias naturales, & quam proponimus affectionem earum eſſe quoque naturalem, ſi ſpecifica ſit, ſi occulta, aut ſenſibus tantum noſtris non etiam intellectu ſeu mente perceptibilis ſit? Galenus rerum plurimarum expertiſſimus præter alios hiſtoricos fide digniſſimos teſtatur, in lacu Syriæ Palæſtinæ (quem alii Sodomenum, alii ſtagnum bi- *Lib. 4. ſimplic. cap. 19*

tuminoſum, vulgó Mare mortuum vocant) nullos omninó homines ſubmergi, ut ne ſi coneris quidem ſponte inſiliens in profundum ejus deferri queas. Hoc ipſum in mari iſto mortuo qui non obſeruaverit, is ne protinus hiſtoriæ Galeni fidem derogaret, aut ſi haberet, diabolicam actionem eam eſſe aſſereret, quam in ſacris literis non definiri conſtat? In iis quidē deſcriptionem ejus haudquaquam invenies: neque cauſam ejus facile reddes: neque tamen ob hanc rationem ſuperſtitioni, ſive etiam Diabolo tātum illam ipſam rectè adſcribes. Verúm, inquies, hîc non de natura Sagarum, ſed de probandis iis per frigidam ſolummodó agitur. Atqui hanc naturam eſſe Sagarum aſſero, aquis non ſubmergi, quam quotidiana experientia demonſtravit: etjamſi naturæ illius cauſas eſſentiales, materiam uidelicet atq; formam quibus contineatur, percipere nequeamus. Imó ſi argumento tuo natura iſta, qua nimirum aquis innatare dicuntur, é ſuperſtitione deduci aut ſumi non poteſt, neque etiam probationem earum inde arguere aut colligere valebis ad concludendum quod illa ſuperſtitionem aliquam ſapiat. Niſi enim natura ipſarum hæc eſſet, ut in ſuperficie aquarum manerent, immeritó etiam eo ipſo, quem indicavi, modo probarentur. At vero naturam earum ſupernis gaudentem, alicujus ſuperſtitionis é propoſito abs te ſacrarum literarum teſtimonio arguere impoſſibile eſt. Ergo & explorationem earum illi ipſi adſcribere velle abſurdiſſimum judicabitur. Sed ne ulla meorum defendendorum pertinacia in me reſidere putetur,

tur, disputationem nostram concludens, hæc tantum addam: Si maximé quod demonstrandum suscepisti Scotophile, verum sit argumentum tamen demonstrationis tuæ ineptissimum falsissimumque esse. Etenim esto superstitiosum istud, ut vis, inventum: diabolicum, & aboleatur idcircó a magistratu si ita ei constitutum sit: attamen superstitionem eius comprobare, illo ipso quod post alias te quoq; in hoc examine tuo attulisse dixi, argumento: nunquam tibi vel in omnem seculorum perennitatem possibile erit, assidentibus etiam tibi in examine tuo mille millenis, iisque gravissimis religiosissimisque Theologis, qui partes tuas defendere velint. Quicquid quicquid igitur ulterius disputes: certé superstitionem propositæ purgationis arguere voluisti: at superstitionis argumentum sive causam nullam adhuc quám alii firmiorem attulisti, neq; adferre poteris tantisper dum demonstres, quicquid in sacris literis non descriptum sit, id superstitiosum esse. Non dico quidem, sed vereor tamen plurimum, ne te hac in examinis tui parte turpissimé dederis. Mansisses igitur Herborne, & Corbachianum examen nostrum nunquam ingressus esses. Sed ne Imperatoris instar novam legem condere velle videar, aut tacité innuere quod dicitur, Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas: lectorem remittens ad ea quæ de his in physiologia mea de Sagis eundem in sensum copiosissimé disserui, finem hîc lubenter faciam. Aliud porró argumentum ejusdem tuæ quæstionis proponere pergis: Neque, inquiens, verisimile est, casum illa ostendis-

se, quæ cum tanto fiunt apparatu, quãtus ad hoc examen requiritur. At quem amâbo casum definis? Fortunam arbitror intelligis & ipsam multarum rerum efficiẽtem causam, sed certo quodam alio nomine mínimé nobis perspectam: cujus tamen efficientiam sub hoc nomine Christianorũ philosophi vel ad ipsum DEVM ejus've ministram naturam, vel ad hominis voluntatem jure referunt. Etiamsi itaq; Casus sive Fortuna (nullam enim inter hæc Logici differentiam agnoscunt) prædefinitam purgationem ostenderit, DEUS tamen vel ipsa natura, vel denique hominis ingenium ejus causa efficiens esse omnino potuit. Tu verò casum, ais, illa non ostendisse, quæ cum tanto fiunt apparatu. An non igitur inventis primúm qualitercunq; ornatus deinde aliquis addi vel adhiberi potest? Id certé fieri posse multarum rerum exempla clarissime contestantur. At miserrimus tamen Sagarum ornatus est, cúm absq; tegumẽtis corporum suorum ferme nudæ cum summo dedecore in aquas projiciantur. Hiccine ornatus est illarum splendidus? hîc'ne elegãtia aliqua spectatur? ubi omnes spectatores cum admiratione obstupescunt? Sed si maximè ornatum quem dicis demonstrare queas: inde tamen nequaquam efficies, rem illo ipso condecoratam casu quodam fortuito ortum suum non traxisse. Et multæ sunt res casu quodam deprehensæ inventæ & cognitæ, eæq; tamẽ sæpe necessariæ & summopere utiles. Tertio eandem purgationem non esse rationis humanæ inventum concludere instituisti, sed argumento frivolo, & omnib. modis quibuscunq;

examine-

examinetur infirmo. Queris quomodo aliis persuadere possim superiorum ætatum homines ex causis naturalibus rem á physica scientia alienissimam humano judicio introduxisse: contendēs juxtá, id mihi neutiquam possibile fore: quoniam ego in rei quā oculis meis jam viderim causis indagandis multopere me fatigem, & quó magis progrediar, eó magis exorbitem. Ergóne, quam mihi difficile sit invenire causam alicujus rei, eam neq; veteres perspicere potuisse autumas? Quam veró tu hoc in loco intelligentiam mihi tribuis, eam ipse mihi nunquam sumere ausim. Nihil enim mihi sumo, nihil mihi tribuo: sed Academicam tamen de rebus omnibus inquirendis disserendisq; libertatem, ut aliis, ita & mihi concessam cupio. Non igitur sequi potest, si ego & alii causam aliquam purgationis Sagarum e philosophia depromere nequeamus, idcirco neq; veteres aliquam habuisse perspectam. Multi ex illis multa sciverunt quæ posteritati sunt adempta, & quorum nos vel minimam, quantum ad causas eorum attinet, cognitionem habemus. Habuerint illi commemoratæ purgationes rationes quasdam certas & demonstrabiles: Posteris tamen per literas eorum scriptáve non communicatæ sint: quomodo igitur ad nos usq;, illa veterum scientia pervenire potuit? Verúm definiti Sagarum examinis superstitionem ulterius arguere non desinis: ob ineptos ut ais ritus qui adhibentur, puto denudationem corporis & crucis instar factam partium ejus colligationem trinamque injectionem. At denudationis & ligationis illius facilima ratio

est. Vestibus exutæ & ligatæ in aquas immittuntur, ut absq; omni fuco deprehendatur quod in illis quæritur. Nempe si non ligatæ submergantur, ne proprio quodam motu se ipsas submersisse á quibusdam credantur, cúm quot capita sunt, tot quoq; sentẽtiæ proferri, & de re eadem audiri soleant. Quod veró ad crucis figuram in ista ligatione attinet, de hac copiosissimé in physiologia nostra jam ante responsum est. Neque enim certis demonstrare poteris, hanc, ut ais, singularem fraudem esse diaboli, quód quibusdam in locis modus iste ligandi aut vinciẽdi non observetur. Quod si enim hoc ita sit, necessarió sequetur, omnes quæ submerguntur per se reas ac nocentes esse, reliquas verò quæ supernatant per se insontes esse, sed tantum per fraudem diaboli falsó reas ostendi: id quod nunquam ego dicere ausus sim, neque tu ullo exemplo speciali idipsum defendere poteris: pręsertim quod nullam ullibi resciverim ob solam purgationem ejusmodi, citra spontaneam confessionem deinde morti addictam esse. Hisce veró minimé contẽtus, addere non desinis fallax esse hoc examen, ob id quod hanc quoq; præter alias causam ejus assignari posse putarim, nimirum diabolum singulari quodam modo Sagas ut lictorem DEI in aquæ superficie retinere. Hanc rationem inquã tibi displicere fateris, quoniam ille ab initio homicida & mendax fuerit, & veritas in eo non steterit. Recte quidem. Neq; etiam ego ex natura sua illum veritati rerũ patrocinari dixerim. Veré enim omnis mendacii pater est. Sed si quid unquam faciet ad veritatis indagationem, id eum ut

lictorem

lictorem DEI ex mandato & voluntate sui domini vel nolentē facere puto: vel etiam tanto quidem lubentius, quanto magis lętatur eorum qui sibi crediderunt extrema pernitie. Terrenorum etiam magistratuum lictores sæpenumero extra carcerem liberos dimittere coguntur, quos ipsi potius damnari & morte mulctari cuperent. Eó usq; malitia mortalium processit, nedum Satanæ. Quid quod creberrimé licét ab initio malus sit, pecunias nihilominus, panes aliasq; res ad vitæ sustentationem necessarias suis adferat, sed non nisi in malum finē? Vult DEUS ut manifestētur & puniantur Sagæ, & Satan hoc ipso plurimum lætatur. Quare igitur tam absurdum quod dixi tibi videtur? Quamobrem nugas hasce impias appellas? Impietatem ullam ne minutissimo quidem literarum apice adhuc dum ostendisti. Immeritó igitur sub finem hujus capitis conquereris me ingenium meum nugis impiis defendendis prostituere.

CAP. V.

Refutatio objectionis de contradictione qua dictum sit, Sagas esse homines & non esse.

IN quinto deinceps capite, singulari ingenii tui Scotophile acumen elucet, quo contradictionis nescio cujus me arguere cogitasti. Logicam tuam scientiam scilicet egregiam hîc prodidisti: é uerbis sive contextu physiologiæ meæ contradictionem effingens, qua asserere tibi visus fuerim Sagas esse homines & non esse. Sagas equidem absoluta consideratione homines esse

definivi. Hoc enim veriſſimum earum genus eſt, quatenus generationis ſuæ materiam atque formam á parentibus ſuis acceperunt: quarum ſcilicet cauſarum ceu argumentorum abſoluté conſentaneorum, & abſolutę ſive ſimplicis conſiderationis ſymbolum eſt genus. Ac deinde é comparatorum argumento conferens eas cum aliis hominibus, addidi non eſſe amplius tales homines quales ante fuiſſent, ob cauſas quas copioſé in phyſiologia mea de Sagis videre eſt. Prioris argumẽtum ſimplex: alterius comparatum fuit. Ubi igitur hîc contradictio, & quęnám qualis'vé eſſe dicetur? An ulla hîc ejuſdẽ de re eadem facta eſt affirmatio pariter atque negatio? Hanc nanq; niſi demonſtraveris, nunquã etiam contradictionem aliquam oſtẽdes: niſi contra communem bene ratiocinantium hominum rationem, nouam Logicam effingere velis. Aliud eſt arguere rem aliquam ſymbolicis conſentaneorum argumẽtis: aliud item è comparatis eandem cum aliis conferre. Aliud eſt hominem ſimpliciter dici aut appellari, aliud itidem, talem vel non talem dici. Neutrum horum inficias ire potuiſti, neq; quod homines eſſe Sagas definivi, neq; quod de comparatione earum cum aliis aſſerui: neq; á quoq; etiam alio negari poteſt. Quam igitur contradictionẽ hinc finxiſti, hac ipſa omnium eorum quę mihi in hoc capite exprobras temetipſum reum feciſti. Multis ſarcaſmis Logicę imperitiam mihi obiicis: homo tamẽ ipſe ſi quis alius maximé ἄλογος, & ejuſdem artis imperitiſſimus. Virum bonum & eruditum cavillationis ejuſmodi & tam puerilis diſputationis omninó puderet,

puderet. At quoniam tu mihi plane incognitus es (neque enim in libello tuo ullam vel bonitatem vel eruditionem adhuc dum declarasti) imó etiam notus esse noluisti: facile tibi veniam dare possum tanquam homini imperito, & ingenuis disciplinis nondum satis imbuto; monens saltem te ut resipiscas, & in posterum á similibus scriptis abstineas. Reliquum quod præcedentibus in hoc capite annectis, me ob minus dextrã Epistolæ meæ de Sagis interpretationem mortuo Ewichio verba facere, qui nec exaudire nec responsum mihi dare possit, in initio hujus tractationis satis superque refutatum est, ut tædiosum fore existimem lectorib. iterum de eodem aliquid audire. De forma quod addis, in physiologia sufficienter jam ante interpretatus sum. Et quid referret, si quod in priore aliquo scripto meo, forsan delictum fuisset, in posteriorib. deinde emendaretur? Melius est errorem corrigere, quam in eo perseuerare.

CAP. VI.

Sagas á Diabolo obsideri.

VIDEAMUS porró quid in capite sexto examinis tui contra nos disputes. Sententia disputationis tuæ est: Sagas á Diabolo corporaliter haud obsideri. At hanc in physiologia nostra copiosè refutavimus. Examinanda tamen erunt, quæ abs te sigillatim adferuntur. Ex hac, inquis, opinione qua concluditur Sagas á Diabolo obsideri, sequetur: quot Sagæ nobis præstó sunt, totidem nobis adesse & Diabolos; &

maritum qui habet uxorem Sagam, cibos capturum, cum Satana discumbere, eumque in lecto juxta se cubantem habere. Quid veró, inquam, tum postea? Quid si hoc tibi demus? Equidem enim neutiquam verebor dicere, qui Sagis assidet, eum Diaboli mancipiis, organis, ædificiis assidere, adeoque ipsi diabolo. Et quæcunque sint, eas indignas censeo bonorum congressu, colloquio, consortio, & omni conversatione, & ubique, & semper ceu ipsum Cacodæmonem præsentem execrandas & fugiendas esse statuo. Et quid prohibet, quo minus huic adstipuleris? An corporum penetratio aliqua, an magnitudo aut alia quantitas essentiæ illius? Utrum veró difficile esset spiritui corpus aliquod ingredi? Non certe. Et quod tu negas eum Sagas (ut obsessas) discruciare, & lingua illarum pro suo arbitratu uti: hujus contrarium clarissimis doctissimorum Theologorum, & ipsius quoque experientiæ testimoniis abundé in physiologia ostendimus: quæ si abs te improbantur & infirma habentur, cur non firmioribus argumētis planum feciſti? Nihil enim omnino ad illa respondisti. Et ita quod dixisti, neutiquam probasti. Lingua earum an non pro suo lubitu próque arbitrio suo Satan abutitur, quando jubet eas loqui quod velit, & alias artem suam docere, item peccata sua constanter negare? Potest certe in corporibus Sagarum esse, & ipsæ nihilominus ejus accessum & decessum videre queunt. An veró temere fatentur sæpenumeró miseré se ab eo verberari & aliis modis torqueri? An negas etiam decrepitas omninó, quod sæpé observatum est,

vel

vel robuſtiſſimos aliquando viros percutiendo vincere potuiſſe? Quandoquidem itaque Satanas eſſentialiter hominum corpora obſidere poteſt, ut ex Evangelii monumentorum hiſtoria comprobavimus, túque ipſemet ſponte ex iis repetis, & nihil impedit, quò minus in Sagarum quoque corporibus eſſe & ſubſiſtere, habitaréque valeat, nec denique vel uno verbo quod non ſit, aut non eſſe poſſit, adhuc dum firmiter declaratum eſt: etiamnum & iterum dico, Sagas quoque á Diabolo obſideri. Atqui ſententiam quam propoſuiſti, te nihilominus obtinuiſſe ſequente ratione contendis: Eos, inquiens, extra quos diabolus eſt, non obſideri: te hoc ſyllogiſmo demonſtraturum. Extra quos diabolus eſt, illi non obſidentur: Extra Sagas diabolus eſt: Ergo Sagæ á diabolo non obſidentur. Syllogiſmus quidem hic tuus partibus ſuis tribus integer & perfectus eſt. Egregium verò & peritum Logicum, qui quod aſſumit in ſyllogiſmo dubium, ne uno quidem argumento demonſtrat? An absque probatione verbis tuis fidem ſimpliciter habendam eſſe arbitraris? Dicta igitur hæc tua quidem ſunt, ſed non edicta quæ dicuntur prætoria. Veruntamen ſyllogiſmum hunc addidiſti nihilominus opinor, ne Logicæ artis planè iners & rudis reputareris. Conſultius autem rectiusque feciſſes, ſi tam otioſas in examine tuo quæſtiones & infrugiferas omiſiſſes.

Cap. VII.

Cacodæmonem ſpiritualis, æthereæ, aereæ naturæ eſſe: contrá quám Ignotus opinatur.

VErum & phyſicæ tuæ ſcientiæ ſpecimen hîc edere pergis, reprehẽdens ſcilicet quod pronunciarim Cacodæmones eſſe ſpiritualis, uel etiam æthereæ aut aëreæ leuiſſimæque ſubſtantię in omnem locum ſublunarem celerrimé permeabilis. Hanc ais notabilem eſſe verborum meorum contradictionem. Ubinam veró illa & quænam eſt contradictio? Aut quomodo hîc in phyſicam ſcientiam impingo? Quoniam, inquis, Spiritus eſt natura ſimpliciſſima per ſe ſolius formę proprietate conſiſtẽs. Æther veró, id eſt cælum ſicut & aër natura corporata: & ille quidem conſtans, hic veró inconſtans. Rectè quidem inquam hæc é phyſicis meis repetiiſti. At nullum impedimentum eſt, quo minus etiam Spiritus comparaté corporatis naturis, quarum videlicet ſubſtantia, motus, actiones facilius in ſenſus noſtros incurrunt, ſimiles dici poſſint, ſi operationes illorum aliasque proprietates ſignificare velimus. Nullum corpus iis attribuo: ſed dico eos leuiſſimo tenuiſſimoque aëris corpori eſſe ſimiles, quod aëris inſtar celerrimè facilimeque quô velint moveri ferrique poſſint, ad declarandam plenius inviſibilem & impalpabilem alioquin eorum ſubſtantiam: propter eos præſertim qui ſpiritus etiam corporatos eſſe pronunciaſſent, é quorum numero præter alios & ipſe Auguſtinus eſt. Et hac loquendi arguendique ratione plurimi quoque alii viri doctiſſimi, ante me uſi

ſunt,

ſunt, ſpiritus æthereos vel aëreos in ſuis libris nuncupantes. Aut cenſes'ne hanc tam impiam & blaſphemam eſſe comparationem? Nihil certe hîc impié dictum reor: nihil etiam ἀφύσικον. His porró obſervatis probéque cognitis nemo me ullius, ut tu autumas, hîc contradictionis arguere vel ejus nomine accuſare poteſt, niſi naturam illius incognitam & inexploratam habens. Sed ingenii tui puto ſubtilitas atque ſolertia in hoc examine elucere debuit, non phyſica aliqua veritas. Rectiſſimé itaque prævidiſti, facilimam fore mihi ſententię tuæ explicationem: ex eo ipſo quod ante in Epiſtola mea diabolos negaverim eſſe aſpectabiles & tractabiles. Propoſitam igitur examinis tui quæſtionem vel potius altercationem, inanem & prorſus inutilem fuiſſe omnes ſani judicabunt.

Cap. VIII.

Non abſurdé Diabolum dici leviſſimum.

Reliquas inſuper examinis tui quæſtiones conſiderans, ignoro plané, utrum quæ proximé ſequitur ulla reſponſione digna ſit: ubi nimis quám par eſt ſubtiliter contendis, ſpiritus nec leues nec graves eſſe, ideoque multó minus leviſſimos á me appellandos fuiſſe. Et ut veré dicam, totum hoc caput tuum nihil niſi argutias & cavillationes inertes in ſe continet. Spirituum ſané eſſentiæ quatenus illa talis eſt, corporum propriæ affectiones qualitatesque attribui nequeunt, ut per annos aliquot in phyſicis meis

edocui. Neque igitur levitas, neque gravitas etjam proprie illis abs me adjungi potuit. Neq; ullibi quod sciam hasce qualitates spiritibus assignavi per se simpliciter (sicuti in præcedente capite indicatum est) quatenus spiritus sunt é naturæ suæ ratione consideratis. Ergo quod dictũ fuerat in physiologia mea, facilimé ad comparationis argumentum referri potuit, vel etjam ad operationum actionumque quas cient illi celeritatem, quòd rapacissimo velocissimoque motu per omnes angulos terrarum, brevissimo quoque temporis intervallo ferri aut pernicibus alis moveri valerent. Atqui tu disputator subtilis docere nihilominus pergis: spiritibus malé levitatem attribui, quia nullus in iis sit calor: quia non semper sursum nitantur; quia corpora non sint. Bené quidem, & ego his minimé repugno. Sed quo tamen argumento levitatem iis adscripserim, satis superque é præcedentibus intelligitur. Quinimó pudet propemodũ ejusmodi cavillationibus adeó prolixé respondere. Subtilior etiam Logica exercitatio tua sequitur; ubi ais: Quicquid corpus non est, non potest esse leve: Diabolus corpus non est: Ergo nec levis esse potest. Et ad varietatem copiamq; sermonis tui declarandam addis, assumptionis tuæ negationem hîc neminem offendere posse, cum respectu propositionis affirmet. Perinde enim hoc esse inquis, ac si sic dixisses; Nullus spiritus levis est: Diabolus est spiritus: Ergo non levis. Attamen quicquid ita argumẽteris, assumptionem prioris syllogismi considerantibus, ratione propositionis præcedentis neutiquam illa affirmata

mata apparebit. Negaté enim disponitur vinculo verbi substantivi negato. Quid veró ulterius? Nil certé nisi odiosa λογμαχια deinceps á te proponitur. Nimium siquidem in hac subtilitate tibi ipsi placens prolepsin quandam refutas, qua concludi posset: diabolos quia graves non sint, idcircó leves esse. Et addis argumentum istud non valere, quoniam sufficienter probaveris eos nec gravitatis nec levitatis subjectum esse. At hæc tui cerebri prolepsis est, á nemine scilicet præter te unum proposita: multó minus á me unquam tradita, neque igitur refutanda fuit. Præterea, ut copiosior sis, nec inde spirituum levitatem rectè argui statuis quod illi Sagarum corpora aliô celerrimé transferre queant: hoc siquidem peculiaris roboris, non levitatis argumentum esse. Quid veró Ignote Patrone tibi hîc respondebo? Quo merito, quæso, quo jure, & qua fronte denique Rhetoricam licentiam tibi nunc sumis, quam mihi ante adimere cogitasti? Quo jure inquam alio quám Metaphoricæ locutionis robur aliquod spiritibus adscribere unquam poteris? Atqui tale jus in assignãda spiritibus levitate mihi dare noluisti: aliquot etiam additis calumniis illud in me reprehendere non erubescens. O igitur plusquam subtilem examinatorem! O iniquum censorem te Scotophilum, qui minimé considerasti vulgatum illud omnibus studiosissimé observandum; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Si ego ut anté clamitasti, in physica fundamenta hîc impegi, tu eodem prorsus errore lapsus nunc deprehenderis: & tanto majorem reprehensionem jure

promeritus es, quantó magis turpe eſt Doctori, cúm culpa redarguit ipſum. Neque ſane quid mihi iraſcare intelligere poſſum (verbis utor à Cicerone dictatis: ergo ſi aſperiora ſunt, illi imputandum) ſi quod ſententiam defendo, quam tu reprehendiſti: cur tibi quoque ipſe non ſuccenſerem qui accuſas eam quam ego defendi? Vitioſam inquies accuſo,& improbo tuam: & veram inquam ego defendo meam. Dicamur igitur uterque pares: Attamen rectè judicaturis maximè videbimur impares. Tu nimirum cenſor iniquiſſimus, qui tam leviter abſque ullis rationibus in alios animadvertere ſtuduiſti, cúm metipſe graviore animadverſione dign° ſis. Ego autem veritatis patronus, qui nihil niſi quod defendere potuerim, diſſerere volui. Qui me nugari dicis, nec tamen probas: longe majores deterioresque nugas lectoribus vendidiſti. Equidem ut ingenue quod ſentio dicam, non putaſſem me in omnibus ſcholis ejuſmodi nugatorem, ſubtilem dicere volebam diſputatorem unquam eſſe reperturum, quám hîc aliquem inveni: niſi forſan hoc unum refutandum amplius ſit, quod ad extremum capitis hujus te videre ais me ſub Rhetoricarum figurarum larvis libenter latere. Sed hoc arbitror artis Rhetoricæ gnari vel etiam huic primo initiati pueri riſuri potius ſunt, quám approbaturi. Larvas enim quas nominas minimè gentium illi intelligent. Iraſceris fortaſſe ſi ego addidero, artis illius oſorem non eſſe niſi ignorantem. Ergo hîc finem faciam. Æqui bonique lectores etiam harum reprehenſionum prolixitati veniâ dabunt, Nimium enim

Teren-

Terentianus ille Par pari referto inquiens, nunc me commovit.

CAP. IX.

Utrum Diabolus levitatem aliquam Sagis impertiat.

ANTECEDENTIBUS proinde intellectis, liquido deinceps apparebit, quæ in sequentibus nono & decimo capitibus de levitate Satanæ ulterius disputantur, absque ulla utilitate abs te in medium adferri, & vix aliqua opus habere responsione. Satis enim prolixe in physiologia declaravi, me diffusionem Satanæ per corpora Sagarum minime intellexisse de hypostatica quadam unione, aut essentiali partiũ commixtione, sed de inhabitatione tantum domestica, qua corpora earum occupet atque inhabitet, & de justissima DEI volũtate in aquis retinere possit. Quid verò tu contra Scotophile? Satanam inquis levitatem suam cum Sagis neutiquã communicare. At quo'nam argumento hoc ostendis? Quoniam ais diabolus nec levis sit, nec Sagarum corpora ita occupet, ut substantialiter eis insit. Atqui hæc ipsa quæ asseris, nulla ratione, nullo argumento, nulla autoritate adhuc dum abs te demonstrata sunt. Et postremum præcipue idipsum est, quod nunquam tibi concesserо. Hinc igitur arguo, quia antecedens Enthymematis illius infirmum sit, ideò nec consequẽs satis firmum ratumque esse posse. Pluribus verо disceptare non desinis, & comprobare velle

gravitatem Sagarum: quia nimirum opus habeant hircis, ſcopis, & aliis quibus inſidentes per aërem commodiús moveantur: innuens ſcilicet levia non eſſe, quę iſtarum rerum fulcris egeant. Item quia alii homines priſtinam in iis gravitatem deprehendant: & quoniam ex alto cadentes non minus quám alii homines terræ illiduntur. Primum quod proponis ex mero Satanæ ludibrio fieri diço, quippe qui plurimas etiam abſq; ullo carro aliove vehiculo per aërem deducere aut ferre ſolet. Et homines ſæpe alii, quibus non indigent, iis tamen uti maxime gaudent. Qui ob corporis ſui robur pedeſtri itinere aliô proficiſci & venire poſſunt: ii tamen caballis equitare malunt. Hoc igitur argumento quidvis potius aliud, quám Sagarum gravitatem demonſtraveris. Miror quod á pluribus carnificibus atque lictoribus audivi, corpora illarum, reſpectu aliarum mulierum videri ſibi adeoque etiam eſſe leviſſima ſi geſtentur ab ipſis in aquas proiiciendæ. Ecquid etiam prohibet, quo minus corpora, quæ aliis levi ora ſunt, terræ illidi poſſint? Ex illiſione certe iſtiuſmodi, ut tu opinaris gravitatem earum abſolute concludere nequiveris. Neque veró ex eo quod additur: Porcos Gergeſenorum itemque homines á Satana obſeſſos aquis non innataſſe, ſed ſubmerſos eſſe: non igitur leviores quám alios homines fuiſſe. Quis enim non crederet, ſi maxime porci iſti vel leviſſimi fuiſſent, eos nihilominus á Satana aquis ſubmerſos ſuffocari potuiſſe: quandoquidem ut hoc fieret á Deo præpotente prius impetraſſet. Nemo ſiquidem neſcius eſt, robori atq; potentiæ

tiæ Diaboli nihil in tota rerũ universitate ex omnibus creaturis esse conferendum. Quidcunque igitur alii de hac sententia nostra judicaturi sint: tu tamen Scotophile feciſti, ut tibi credendum sit Sagarum corpora aliis leviora non esse. Siniſtrum itaque tuum in fine hujus capitis judicium est, ubi delirii mentionem facis quo capra contra seipsam cornua producat. Quid ni, (si modo philosophicum sit) eodem plane jure, quo capram tu me alium ve appellas, mihi viciſſim cujuslibet alterius bestiæ etiam rudentis nomine te vocare licitum fuerit? nisi forsan reverẽtia & dignitas tua prohibere videatur. Ἄλογον tamen te esse, id est hominem ratione sua atq; ingenio abutentem, quis quæso eruditorum moralium nisi omnino cæcus non videt? Verum ad alia progrediamur.

CAP. X.

Quomodo intelligendum sit Sagas diabolica levitate in aquarum superficie sustentari.

SUBTILITATUM porro tuarum finis nullus est. Satanam suo spiritu Sagis inhabitantem, ita eas attrahere dixeram, ut per ejus levitatem sustentatæ sub aquas ferri nequeant. Hic nihil quod in contrariam partem disseras inveniens, ludis solummodo in particula Spiritus: Te, inquiens, haud intelligere quis sit iste diaboli Spiritus, cúm nullum alium habeat, quàm seipsum. Dicam igitur absque additione istius vocis, simpliciter: diabolum Sagas in aquis attrahere. Et

quid habebis amabo contrarietatis? Ad sententiam ipsam quam proposui, ne verbum quidem ut apparet respondisti: ineptias nescio quales hîc nominans. At ineptissimum est quod subiiciste non videre, quo ille modo corpora Sagarum, quas jamdum occuparit, amplius attrahere queat? An vero absurdum videtur, quos occupavit quos've inhabitat, eum trahere quoque aut pellere posse seu retinere etiam ut stent, ut sedeant, ut currant, ut in aquas se præcipitent? Hoc fieri sæpe, clarius & manifestius est omnibus, quàm ut pleniore probatione indigeat. Iterum iterumque igitur hîc sapientiam tuam demiror & ingenii tui sagacitatem. Hominem sagaciorem scilicet videre me non memini. Sententiæ verò meæ pleniorem explicationem qui voluerit, is physiologiam de Sagis uberiorem legere poterit, & intelliget quod dixi, Satanam divina quadam impulsione aut Dei ipsius imperscrutabili voluntate & justissimo judicio tanquam lictorē eas hoc ipso, quem dixi modo, attrahere. Quod certe dictu absurdum esse minime arbitror. Non ex benevolentia quadam aut benignitate per se illas in aquis retinet, quod illis bene velit aut consultum cupiat, sed ut jubēte Deo earum culpam atque noxam omni populo manifestet.

Cap. XI.

Utrum aquæ Sagas respuant, occulto seu speciali quodam erga illas odio.

AD pleniorem vero causarum innatationis Sagarum explicationem, aliam insuper inquirer:

quirere ſtudui in ipſis aquis ſive fluminibus: ſpecialem videlicet aliquam corporis Sagarum & ipſorum fluminum antipathian; quod aqua omnis, occulta quadam ſibi à DEO indita proprietate, atque odio inteſtino eas reſpuat & eijcere tentet. Quandoquidem illæ toti trinitati, DEO patri & filio & Spiritu Sancto ſcientes volentes, ut ex multarum teſtimonio percepi renunciant, cui tamen in baptiſmate ſuo, aut immerſione aquæ regenerationis hominum ſalutari lavacro deſtinatæ nomina ſua ſanctiſſimé dederunt. Periuræ igitur factæ ab aquæ elemento iterum reſpuuntur, ut ſceleſtiſſimum illarum ſcelus & peccatum deterrimum, omnibuſq; modis horrendum hoc modo perſpicué manifeſtetur: & quidem in hunc præcipué finem, ut punitis illis, gloria DEI á quo defecerunt magis magisque inclareſcat. Juſtitia enim Judicis etiam mundani tum demum cognoſcitur, ſi injuſtitia omnis punitur & é medio tollitur. Quemadmodum omnes etiam aliæ totius univerſitatis partes DEUM prædicant, eiusque gloriæ amplificandæ, quantumvis irrationales videantur, inſerviunt. Nulla igitur religio prohibuit dicere: Aquam baptiſmatis quæ ſignum atque ſigillum eſt initi inter DEUM & homines baptizatos novi fœderis, pariter diſſoluti illius & fracti iterum fœderis ſignum eſſe poſſe. Et occultam hanc aquarum virtutem, ſive ſpecialem ut phyſici vocant; aut propriam eſſe puto, & admirãdam potius quám ex primis aliis cauſis demonſtrabilem. Arcanum quoddam ſpecificum hîc eſſe & nobis ob oculos poni ſtatuo. Neque video quidquam in hac aſ-

sertione sacris literis dissentaneum á me dictitatum esse. Judices erunt saniores Theologi, qui si quid impietatis hîc deprehenderint, mentem meam erudire poterunt. At proh Deum immortalem, quàm siniſtra interim & plané falsa istorum verborum meorum interpretatio abs te Scotophile qui veritatis patronum te jactitasti, lectoribus physiologiæ meę proponitur? Theologos graviter á me offensos etiam esse absq; ulla causa conquereris: universos interim ubiq; locorum artis logicæ magistros præceptoresq; & ipse gravissimé offendens. Nempe offendisti omnes quia institutum informatum've discipulum artem quam debebat non gnaviter didicisse plurimum dolebunt. Audiverit enim inquient & didicerit eam: at in analysi tamen rerum differendarum illam minimé exercere solet. Offendisti omnes candidos & ingenuos homines, qui tam iniquum & infidelem aliorum interpretem summoperé mirabuntur. Baptismum á me evacuari dura admodum phrasi asserere pergis: quoniam in supra præscriptis verbis regenerandi & á peccatis purgandi virtutem aquæ adscripsisse videar: nulla interim Spiritus sancti qui regenerat & sanguinis Christi, qui á peccatis mundat facta mentione. Conferri deniq; ais in creaturam, quod creatoris sit, & in signum quod rei sit signatæ. Et his prolixé disputatis, insigniorem tuam pietatem ostensurus, tandem duorum præcipué criminũ me á Theologis accusari clamitas: primó, quod regenerationem hominum ab aqua depẽdere, non autẽ á sanguine Christi & Spiritu sancto nobis accedere scripserim. Deinde

inde quod non baptiſatis, ſalutis æternæ hæreditatem hoc modo denegari putarim. Quid veró mi Scotophile? Bona quæsó verba. Utrum baptiſmum, cauſam regenerationis hominum ſolitariam eſſe, unquam aſſerui? Utrum Spiritus ſancti operationem excluſi? Utrum quoque ſanguinem CHRISTI, ut tibi videtur, á peccato nos purgare negavi? Unde hoc concluſeris? Ex verbis ne meis ſupra citatis? Non ſane opinor. Ubi ergo offendi Theologos? An enim CHRISTI DEI filii mentionem non feci? Quî verba illa mea retexes? Audiamus quæſo. DEUM dixi Opt. Max. elementum aquæ prædeſtinaſſe ſalutari regenerationis lavacro, ut per hoc medium novi homimines facti quaſi per januam in regnum CHRISTI ingrederentur. Et paulo poſt: Aquæ DEO placuerunt, quibus uſurpatis peccata hominum ablueret atque purgaret. Ecquis Theologorum hoc malé dictum aſſeverabit? Ecquis etiam alius bené ſanus homo improbabit? Examen inſtituatur. Et primum artis logicæ auditores analyſin verborum meorum reddere iuſſi (certe ſcio) reſpondebunt: Aqua á DEO prædeſtinata eſt regenerationis lavacro: Propoſitio eſt, in qua ſimul diſpoſita ſunt argumenta cauſarum & effectorum. Nimirum regenerationis hominum cauſas hîc exponi inquient. Quænam igitur ſunt iſtæ cauſæ? DEUS, opinor reſpondebunt, Opt. Max. baptiſmatis autor, & mediũ illius inſtrumentum. Qualis veró cauſa DEUS eſt? Efficiens procreans & quidem ſolitaria. At quis DEUS hîc intelligitur? DEUS unus in Trinitate & in unitate viciſſim Trinus DEUS pater, filius, &

Spiritus ſanctus. Bené. Retexantur veró & cætera: Aquæ prædeſtinatæ ſunt lavacro regenerationis. Qualis quæsó hîc efficientia eſt aquæ in regenerando homine? Aqua, Logici quoque ſic interrogati dicent, eſt cauſa inſtrumentaria: quæ & ipſa efficienti cauſa tanquam generi ſuo ſpecies ab univerſis Logicis rectiſſimé ſubjicitur. De fine autem lavacri, qui iiſdem verbis additus eſt, nihil controvertitur. Sic inquam vel pueri, qui Dialecticæ præcepta primis ut ajunt labris deguſtavêre, reſpõſuri genuinum verborum meorum ſenſum reddent. Neque aliter ego ipſe intellectavolui. Et eruditiores alii hoc modo opinor rectè acceperunt. Admirandum veró ſummoperé venit vel juvenes etiã arte rationis imbutos plus ſæpé videre, & facilius de rebus multis jũdicare poſſe, quàm alios qui ſummam quoque ſibi omnium rerũ ſcientiam vendicare non metuunt. Pudet certé audire, pueros in ſcholis claſſicos veritatis patronum aliquem examinãtes quem longé doctiorem fuiſſe plũrimi exiſtimaſſent. Sed ad rem ipſam. Offendi ne quæſo Theologos quod aſſeruerim, Aquam baptiſmatis eſſe lavacrum rẽgenerationis: quo peccata hominum abluantur. Offenſos ſi quos putas, offendit fideliſſimus verborum Dei nuncius & interpres diuus Apoſtolus Paulus, qui expreſsé in Epiſtola ad Tit. baptiſma definivit lauacrum regenerationis. Quod ſi veró lavacrum rectè dicitur, lavabit etiam & purgabit peccata hominum. Id enim notatio ſive Etymologia vocis rectiſſimé arguit: quoniam lauacrum à lavando vera notatione derivatur. Unde ex conſequentia infero,

infero, Si baptiſma lavat vel abluit peccata mortalium, erit ablutionis illius cauſa, & contra lavacrum ſive ablutio erit, ut veriſſimè quoque eſt baptiſmatis effectum. Sed non ſolitaria illa cauſa eſt, neque conficiens principalis: ſequitur itaque eſſe inſtrumentariam, qua DEUS ceu intermediante, aut veluti inſtrumento uti voluerit. Ablutionem quoque peccatorum baptiſmati ab ipſo DEO non obſcuré adſcribi in Act. Apoſt. quis Theologorum ignorabit? Ubi vox DEI ad Apoſtolum Paulum convertendum dixit? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine DEI, ſicut ipſe Apoſtolus refert, Act. 22. Hinc igitur manifeſtiſſimé firmiſſimeque contra concludi poteſt, vim etiam quandam ſive efficientiam regenerationis baptiſmati non malé attribui, adeoque bené dici poſſe, aqua nos regenerari, & á peccatis purgari. Et quis de hoc dubitaret, cúm hac eadem loquendi formulá CHRISTUS metipſe uſus ſit ad Nicodemum Joannis 3. inquiens: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnũ DEI. Attende quęſo: Aqua ſecundum ipſius DEI pronunciatum nos regenerat, & nos viciſſim regeneramur aqua, veluti inſtrumento, medio, quod DEO ad hoc opus, ut ante ſignificatum eſt, placuerit. Spiritu verò quem nominat ego ſub DEI voce comprehendi. Audin' igitur Scotophile me nihil CHRISTIANÆ religioni contrariũ protuliſſe. Quamobrem per ſe quoque nunc corruit quod addis, ex antecedẽte illo quod traditum fuiſſet, naſci alios errores. Primum, eos qui ſine baptiſmate é vita decedunt, æternæ ſalutis par-

ticipes fieri non posse: alterum, quo baptizandi facultas sæpé mulierculis concedatur, si infantes subita quadam ægritudine corripiantur. Ejusmodi namq; sententiæ ex mea physiologia, nequaquam colligi poterunt. Neque idcirco copiosius aliquid de iis proponere constitutū est. Sed quoniam hisce primùm ex cerebro tuo effusis satis sufficienter responsum videtur, propius deinceps ad rem ipsam Scotophile progrediemur. Quando nimirum disserui, Aquam ob spretum sacrosanctum illud de quo diximus lavacrum, Sagas odisse, ideoque eas in superficie gestantem Magistratu, ceu delictorum suorum reas publicé commonstrare. Hæc opinio mea tibi displicuit, quandoquidem ut anté dixisses aquæ nulla sit, aut efficacia, nulla affectio ad regenerationem. Sed argumentum hoc, ut apparuit, anté uberrimé refutavimus. Additur porró, eos qui baptismum contemnunt, non aquam veluti externum symbolum, sed DEUM ipsum contumelia insigni afficere. Verumenimveró, inquā, qui baptisma respuunt, ipsam quoque aquam contemnunt, insufficientem illam, inefficacem aut omnino inutilem esse putātes ad institutum finem. Quod autē inutile á nobis ducitur, (alioquin utilissimum á DEO habitum nobisque injunctum & præscriptum) cur non idipsum quoque pro nihilo haberi aut floccipendi dicerem? Quod inquam DEO placet, nobis autem displicet, hoc certé á nobis pariter & summoperé quidem improbatur. Hoc veró quid aliud est, quám idipsum prorsus contemni? An hoc dicere nefas? an piaculum tibi videtur? Contemnitur baptismus.

ptiſmus. Sed tamen contemptus eius longé longé majorem DEI contemptum ſignificat, & tanto majorem iram pœnamque meretur, quanto DEUS qui eum ordinavit, ordinatione ſua major, ſublimior, atque dignior habendus eſt. Verum hiſce non contentus, aliud præcedentibus argumentum annectis: aquam innuens non poſſe Sagas odiſſe: quoniam non vivit, non videt, non ſentit, rationeque non prædita eſt. Odium namq;, ais, ex offenſa naſcitur. Offendi autem non poteſt, qui moleſtiam non ſentit. Hoc verò argumẽtum, ſi quod aliud, ſolertiſſimi videlicet philoſophi inventum eſt. Hìc tandem aliquando ingenii tui acumen, illuſtrius quàm ante appareret. Nunc equidem, Patrone, te mihi notum eſſe cuperem, ſimiles quoque alias é phyſica deſumptas diſputationes lubenter ex te auditurus. Attamen quod allatum eſt ad inquirẽdum propoſitæ quæſtionis veritatem, plenius aliquanto examinandum eſt. Veriſſimum itaque fateor eſſe quod aſſeruiſti; Nempe aqua per ſuam naturam, quatenus eſſentia inanimata eſt, vita caret, & phyſicé loquendo nihil ſentit, ideoque lętitiæ, iræ, odii, aliorumque affectuum omnium expers eſt. Cur verò & quo ſenſu regius ille propheta & Logicꝰ minime fallax homo, nimirum ſapientiſſimus Dauidès ſimiliter omninó loquitur? Exitum, inquiens, Iſraelis de Ægypto mare vidit & fugit: Jordanis converſus eſt retrorſum. Montes exilierunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium. Et cauſam deinceps ejuſmodi effectorum ex illis naturis quęrit. Et paulo poſt: A facie domini mota eſt terra. Quomodo inquã hìc res inanimatę videre, aufugere, & prę lętitia exi-

lire possunt,& res per naturam fixæ moveri? Cur etiam idem Logicus absolutissimus jubet,cælos fateri Deum & ejus enarrare gloriam? Item
Psal. 137. Confitemini inquit Deo cæli: quoniam in æternum misericordia ejus. Et iterum alibi; Laudate
Psal. 148. dominum cælorum,& aquæ quæ super cælos sunt. Et laudate eum cete & omnes abyssi: montes & omnes colles, &c. In his omnibus nullum est vocis organon. Et tamen laudare Dei majestatem prædicareque possunt. Et cúm laudare queant, quî non etiam vituperare, respuere,odisse possent? Qua ratione igitur hæc omnia ridiculé dicta tibi videntur? Sermonem enim meum plane similem, tu ridiculum nominasti: Ergó rides etiam Dauidis regii prophetæ verba? At iterum tamen argumẽtum tuum propter insignem quæ in eo continetur physicam scientiam repetere & plenius excutere liceat. Aqua,inquis,est res muta, cæca, surda,universis denique animæ facultatibus destituta: Ergó Sagas odio habere nequit. Quî igitur(ex te quæro)terra lætabitur ob bonitatẽ Dei, quomodo montes exultabunt? quæ & ipsæ res sunt inanimatæ,neque sentiendi neque appetendi facultate vel minimum præditæ? Et propheta tamen per interrogationem ait, Ut quid exultatis montes excelsi?
Psal. 68. Pariter enim & aqua res inanimata est, & nihil sentit,dixerit aliquis tui similis,& ulterius quæsiverit: quomodo itaque abluere poterit peccata,quæ non videt, non sentit? & cur hæc potissimum Deo placuit ad suum institutum? An'non autem hæc insignis & utilis foret quæstio, & erudito Theologo digna? O censorem te & exa-

minato-

minatorem iniquissimum! Aqua lavacrum factum est hominum regenerandorum, idq; ex voluntate, ordinatione, prædestinatione, & imperscrutabili judicio DEI opt. maximi. Ut videlicet visibile instrumentum esset regenerationis. Ergó ex ejusdem voluntate & ordinatione sapientissima etiam esse potest instrumentum, vel etiam si ita malis, signum purgandarum & explorandarum Sagarum, ut visibiliter omnibus fiant conspicuæ. Alienationem igitur aquarum á Sagis, inimicitiam & odium illorum corporum quæ tu negas, DEUM dico ipsis imprimere, qui destinato tempore eas puniri velit. Quod si absurdum hoc ridiculumq; tibi videatur, quod causæ hujus & impressionis quam dixi certum & expressum testimonium in sacris literis non extet: absurdiora quoque multa videbuntur. An verò nescis opera Domini cuncta esse imperveſtigabilia? Quis potest in omnibus mentem domini cognoscere? Quis in omnibus esse potest ei á consiliis? Cogitasses potius profunditatem divitiarum & sapientiæ & cognitionis ejus, quá ipsemet Apostolus miratur in Epist. ad Rom. Rom. 11. Sed hæc sufficiant: ut videamus etiam reliqua. Aliud enim argumentum ad eandem sententiá est, quia potius aqua totas absorptura & suffocatura, quám sine ullo vitæ discrimine sursum evectura sit. Utrum vero nescis etiam alios sæpe homines forte fortuito aquis submergi aut ab iis absorberi? Quomodo igitur si videat quispiá Sagas aquis submergi, eas magis quám alios scelleratos, artis Magicæ reas judicaverit? Protinus enim cogitabit atque respondebit ille, etiam ali-

os, ut indicavi homines ita in profundum immergi. Objectio igitur hæc tua Scotophile vaniſſima eſt. Cur non ipſa inquis ſupplicium potius ſumeret de iis, quam carnifici cruciãdas relinqueret? Quoniam illud inquam judicium incertum foret. Imó etiam dixerim quia Deo uiſum fuit eas publicé á Magiſtratu quoq; in hoc mundo puniri, ut non malé hîc addi poſſit illud Pauli ad Rom. Deus iram ſuam oſtendere volens & notam facere potentiam ſuam pertulit multa lenitate vaſa irę coagmẽtata ad interitum. Quæris præterea ſi aqua Sagas tantopere averſetur, cur æqué illa lauentur atq; alii? cur eam bibant & in corporis ſui nutrimẽtum convertant? Quid veró quæſtiones iſtæ ad propoſitũ tuum? Quid inde quæ.o concludes? Eadẽ ratione quæſiviſſes cauſam cur Deus æternus Solem tám ſuper malos quám ſuper bonos ſplẽdere ſinat? Eſt hoc ineffabilis Dei bonitatis, qui & zizania quęlibet, in bonorum & vtilium frumẽtorum agris uſq; ad tempora meſſis creſcere nõ impedit. Bonitati dico & miſericordiæ patris cæleſtis hoc adſcribendum eſt, quæ cunctis quoq; quotquot quotquot ſint aut committantur peccatis major deprehenditur. Quamobrem & aqua Sagas alere, nutrire, & corpora illarum ex mera & gratuita Dei benignitate fouere poteſt, ut vivant ad tempus ſibi a Deo præſcriptum: & nihilominus ipſarum Diabolicam tandem naturã prodere pariter poteſt, quando juſtiſſimo illi judici commodum videtur vt é vita tollantur. Et hoc arbitror nemini abſurdum vidébitur, niſi qui velit, ut ſimulatq; Sagæ Diabolo ſe dederint, non amplius

plius in his terris aut non diutius á DEO ferantur. At hoc si quid aliud esset DEI bonitatem accusare, qui haud dubie illis vitam diuturniorē largitur, ne tempus iis præcipiatur si velint resipiscendi & ad ipsum denuo redeundi. Si autem vivere debent, alimonia & nutrimento corporis privari nequeunt. Quid quod alterius etiā sæpe rei unius multiplices iiq; inter se plurimum discrepantes adeoq; adversi fines deprehendūtur? id quod nisi á physicę artis principiorū ignari inficias ire sani homines haud poterunt. Huc accedit deniq;, quod ab aquę potu abhorrere, incertum judicib. signum & plane obscurum documētum foret. Quippe & alii reperiūtur ab aquæ potu p se solo assumēdo per naturā suam abhorrentes. Quocirca si maximé aquā Sagę ut alii potent, eā tamen certo tēpore inquirendarum illarum indicia suppeditare posse, intellectu non est difficile. Quęstio igitur tua Scotophile ad quam hucusq; respondimus, ab homine forsan Theologiæ pariter & physicæ philosophiæ fundamentorum nescio excogitata, abs te immeritó & sine ulla necessitate proposita fuit. Atqui singulare tui in defendenda veritate patrocinii studium prodidisti in sequentibus: acriter nimirum contendens, si antipathia quædam sit aquæ & Sagarum, eam totam in minutissima qualibet aquæ particula esse oportere. Verisimile siquidē hoc uidetur: cum pars quælibet naturā sui toti⁹ participare debeat. At quî quęso proh omnium q in toto hoc terrarum orbe adhuc hodie vivunt hominum intelligentiam, quî inquam si maximé sit hujus experientiā feceris?

Quomodo in minutissima aquæ particula sedebit, jacebit, natabit, grande ejusmodi corpus alicujus Sagæ, ut videatur ac observetur, si submergi possit illa nec ne? Si quam tacité proponere videris assumptio tibi illustrãda & comprobanda sit: consequens videlicet propositionis non esse, quo modo quáve ratione illam demonstrabis? Assumatur amâbo Sagas non in omni minutissima aquæ guttula supernatare. Quám autem ridiculé hoc omne dicetur? Quomodo guttula aquæ Sagam portare poterit? Videatur itaq; vel cogitasse talem assumptionem absurditas omnium absurdissima, & vanitas de rebus seriis disputantium vanissima, sibilo & explosione dignissima. At copia tua major est quám ut finem facias. Progrederis namque deinceps ad symbola quoque cœnæ dominicæ, ut & illa præcedentibus tuis dictis testimonium perhibeant. Quænam autem tua illa sacro sancta disputatio est? Cúm Sagæ, inquis, non minore contumelia sacram cœnam indigné illam accedẽtes afficiant, quám baptismum: cur symbola ejus duo, panis & vinum non pari odio Sagas prosequuntur? Syllogismus hic est é media Theologia depromptus. Hoc igitur opus, hic labor erit ut istum soluam⁹. Sententia tua est: Si aqua ob sui ipsius contemptum Sagas odit: utique etiam panis & vinum in mensa domini eas odio prosequetur. Sed hoc non est. Igitur nec illud. Assumptionem comprobas, quia videmus eas pane vesci, & vinum avidissimé bibere. Sed quænam leges informandorum syllogismorum docuerunt aliud proponere, aliud totaliter á propositione diversum assumere.

ſumere. Panem primó propoſuiſti, & vinum in menſa domini conſecratum. In aſſumptione deinceps loqueris de victu panis & vini quotidiano. Imó idem utrobique intelligas, ne ſic tamen quod cogitaſti, obtinueris. Etenim & aliorum hominum ſæpe nauſea naturalis á vino deprehenditur. Et experientia obſervatum eſt aliquoties, quaſdam Magicas mulieres cœnam ſacram accedentes accepto pane iterum ex ore ſuo eum exemiſſe aut expuiſſe: & ab iis deinceps qui id forſan animadvertiſſent admonitas, protinus enorme hoc ſcelus ſuum confeſſas eſſe: indicantes ſibi cibo & potu iſto intra corpus aſſumendo interdictum fuiſſe. Et quotuſquiſq; concionatorum eſt qui ſemper videre aut obſeruare poſſit omnes perſonas præſertim velata facie in multis locis accedentes, conſecratas oſtias, quas oris extremitate attingunt intra corpus totas aſſumere, vel etiam vinum é calice conſecratum? Id certe difficulter fieri poteſt. Multo minus adſtantes alii idipſum cuncti notare queunt. Minimé itaque eadem eſt utrobique ut autumas ratio. Etiamſi ſcilicet elementa iſta, quæ in cæna uſurpantur, Sagis quoque occulté adverſentur: adverſitas tamen iſta, univerſis qui illas circumſtant palam fieri nequit. Indicia autem ſive ſigna, quibus cognoſcendæ & explorandæ ſunt Sagæ, debent eſſe manifeſtiſſima: ut eſt ipſarum in aquis ſupernatatio. Cauſam veró quare elementum aquæ ad præſcriptam purgationem præcipué ordinatum deſtinatumq; videatur, ſatis abundé in præcedentibus, ut patuit, declaravi. Ex eodem fonte promanat quod de iis ultimo loco

disſeritur, qui in Inſula Ponto etiam Ethnici Magicæ artis periti nulla ratione aquis ſubmergi potuerint, cúm ſacro baptiſmate haudquaquam tincti fuiſſent. Nam & hoc ipſum intellectu facilimum eſt nihil contra noſtram ſententiam facere. Quod ſi namque dixeris illos baptiſmum non ſpreviſſe, quoniam in infantia ſua hoc ipſo tincti non fuerint; idem arbitror ac ſi dicatur, Ethnicos non potuiſſe audire verbum & ſacramẽta Domini, quoniam illis non annunciata ſint, ideoque eos in extremo judicio excuſabiles futuros. At Paulus Apoſtolus ad hanc objectionem reſpondet: Exivit, inquiens, ſonus eorum in omnem terram. Dixerim itaque baptiſmum & ipſos ſpreviſſe, quatenus per majores ſuos, qui promiſſioni Abrahamo primùm factæ fidem non dederant, ſed á fide ejus deficientes circumciſionem pariter (in cujus locum baptiſmus ſurrogandus erat) cum aliis Dei præceptis contempſerant, delinquentes & ipſi eorundem peccatorum rei facti ſunt ut verbi divini & ejus ſacramentorum non potuerint eſſe participes. Et quia interim Deum creatorem ſuum, quem ex creaturis teſtante Apoſtolo cognoſcere potuiſſent, relinquentes ad Cacodæmonem ſponte ſua ut alii defecerunt, nihil etiam niſi blaſphemiam Dei & pernitiem proximorum ſuorum quærentes: Deus idcirco creator eos nihilominus per aquam ad baptiſmum á condito inde homine prædeſtinatam, manifeſtari voluit, ut propter ſcelera illa ſua nimis enormia hîc etiam corporaliter punirentur. Et quam virtutem occultam Deus elemento aquæ

hanc ob cauſam impreſſit, eam ubique gentium in Ponto, in Aſia, Calabria & alibi habere & retinere poteſt, ſive baptiſentur illic ſive non baptizentur indigenæ. Sed finis faciendus eſt. Quis enim frivolis omnibus argumentationibus & ineptiis tuis copioſius reſponderet? Nullum hucuſque ex tam multis perſpectum eſt, quo catholicé firmiterque quod velles, demonſtrare, defendere tuerique poſſes.

CAP. XII.

De vera tum efficiente tum finali purgationis Sagarum cauſa.

UNUM reſtat caput tui examinis: ubi veram tum efficientem tum finalem purgationis Sagarum cauſam inquirere ſatagis. Anacephalæoſi igitur antecedentium præmiſſa tandē proponis Diabolum admirāda potius quàm inquirenda facultate id quod quæritur præſtare: quoniam ei tanta vis ſit ut non ſolùm Sagas, ſed alios etiam homines ſæpe per aërem ſublimes rapiat, unde facilimū ſit deprehēdere, eum Sagas quoque in aquæ ſuperficie ne mergantur poſſe fulcire. Et ulterius addis. Quemadmodum bonus Angelus Prophetam Habacuc ex Judæa in Chaldæam, ut pulte ſua Danielem in ſpelunca leonum cibaret, detulit: An vero hîc non mecum facis, qui & ipſe in præcedentibus Satanam inter cauſas propoſitæ purgationis efficientes referri poſſe diſputavi? Atqui modum inquies te alium ſtatuere. Quis nam igitur iſte?

Admiranda potiùs ais quàm inquirenda facultate hoc fieri. Et in fine cap. Modus, inquis, quo talia eveniunt nobis incognitus est. Quid verò? An non modum exprimere studes in annexa similitudine? Nempe Satanam illas robore suo atque spirituali fortitudine illas retinere quemadmodum sæpe alios etiã innoxios per aërem trahat, &c. Hic certé modum aliquem exprimis, eumque non omnino obscurum ob similitudinem experientiæ testimonio intellectu facilem. Quid si adderes id quod ante tradidi? Eum videlicet hoc præstare veluti robustissimum Dei lictorem, qui justissimum illius judicium executurus, eas universo populo spectandas præbere, & delictorum quorum arguuntur reas indicare debeat. Finem verò declaraturus in eodem capite, eum ex diabolico mendacii gaudio æstimãdum statuis: quippe quo nihil aliud quærat, quã ut spectatores suis præstigiis dementet: reas veneficii quandoque liberet, innocentes contra, carnifici discruciandas tradat. Atqui hoc est, quod vel uno saltẽ exemplo speciali mihi comprobari cuperem. Si unum inquam exemplum protulisses, ubi rea veneficii aquis quæ innatassent sit liberata, vel ex iis quæ ita natassent, innocens carnifici tradita sit: tum incertam reddere purgationem earum facilius potuisses. Quod dum non feciſti: quid aliud quæso egisti, quàm ut te risui adhibita cum ratione disserendum esse docentium exposueris. Nihil enim dicendum fuerat, quod demonstrare non posses. Neque ante te ullus alius, neque tuipse ullum sententiæ meæ contrarium exemplum dedisti. Quamobrem

obrem universi id quod contra te hucusque disserui, ratum certumque habebunt, tantisper dum firmioribus & certioribus, quam quibus modo usus fuisti, argumentis in medium adductis aliud effeceris.

Appendix præcedentium responsionum.

HÆc Scotophile fuerunt, quibus contra examen tuum proponendis & in eo respondēdis, ipse tu occasionem præbuisti: & quidem, quam fieri potuit, brevissimé contracta. In quibus si quæ volui, per omnia assecutus non sim, infirmiora tamen tua & longé imbecilliora satis abundé refutasse videbor. Nihil igitur ulterius restare censeo, quam ut iisdem verbis, quibus ad me in Epilogo tuo scripsisti; te vicissim alloquar: Utinam nimirum aut tuum Examen nunquam instituisses, sive in lucem publicé emisisses, aut saltem á scommatibus & dicteriis quibus me amarulēter impetiviſti abstinuisses: tum certe ego hoc scribendi labore libenter supersedissem. Si justam te habuisse causam asserueris: & ego pariter justam causabor. Quicquid enim vel ante in physiologia mea de Sagis, vel nunc etiam in præsentibus responsionibus prolatum est, id omne veritatis inquirendæ gratia proposui. Ergo facile quoque, opinor, veniam horum omnium mihi te daturum esse confido. De Pistandro proinde mi Scotophile, qui te singulari sua Epistola ad hoc examen perduxit, aut ut hoc pro-

poneres tibi persuasit: nihil nunc ulterius addere constitutum est: quandoquidem neque ille quicquam de re proposita disseruit, sed tantum uti dilucidissimé apparet, de nomine meo calumniis proscindendo solicitus fuit. Sed tamen ne omni prorsus responsione illum dedignari videar: Pauciſſima hæc illi referto. Socrates apud Plat. in Gorgia rectissimé monuit, ut in disputando non tam ad personam, qua cum disputatur, quám ad rem ipsam, & sermonem & animum intenderemus. Et Cicero in Acad. Non quis dicat, sed quid dicatur spectandum esse præcepit. Quis igitur Pistander ille? Cujus philosophi magistri se discipulum haberi voluit? dum quidvis potius aliud quám salutares ejusmodi nobilissimorum philosophorũ admonitiones sequi aut observare voluit? Quid enim ille aliud quæsivit? quid voluit in sua Epistola? aut cui potius rei studuit, quám ut me nomenque meum bonis hominibus invisum redderet, & scripta mea publica nominatim singula, etiam nulla de causa malitiosé reprehenderet? Est'ne hoc Socratici & Academici philosophi, veritatem rerum disceptandarum amantis documentum? Itáne Plato? Ita ne Aristoteles philosophari, docere, scribere docuit? Arrogantem me dixit, quod Logicas meas commentationes, quas vertiginosi capitis cogitationes appellat, publicas facere non veritus fuerim: quodq; in Rami Logica, ubi & quando libuerit, interlinẽdi, addendi, mutandique jus mihi sumpserim. At cur quęso potestatem illam mihi non sumerem? Potestas hæc est & libertas Academica, & veré philosophi-

losophica, ut universis aliis, ita mihi quoq; pari privilegio concessa: in aliorū videlicet dicta scriptaq; diligenter inquirere, & animadvertere, & ex iis quod é commodo reipublicæ literariæ futurum sit, diligenter observare. Quē igitur Pistādrū esse suspicabimur, & quem hominē esse dicem⁹? An enim hic literarū studiosus nominandus est? qui cúm literat⁹ videri velit, literatos tamē communi suo jure privare, & libertatē iis ab omnib. inde seculis cōcessam adimere, adeo q̄ cunctis philosophicis privilegiis spoliare cogitat? An hîc in societate Academicorum ferendus, qui libertate illorum uti fruiq̄; nolit, aut si velit, aliis nō itidem concedere cupiat? An vero quod Petro Ramo in aliorum scriptis facere licuit, ac justé permissum est, mihi & aliis quoque in ipsius vicissim scriptis examinandis licitum non fuerit? Sæpissimé solitus ille fuit dicere, Amicus Plato, amicus Aristoteles: at magis amica veritas. Eodem igitur jure tum aliis tum mihi pariter dicere licebit, Amicus Aristoteles, amicus Ramus, sed magis amica est mihi veritas. Et Pistander si quid contra Logicas meas observationes haberet cur non uná cum Piscatore in lucem edidit? aut cur literariæ juventuti invidit? Imó veriſſimé dicere audeo me plurimis rem túm gratissimam, tum vtilissimam istis meis commentationibus præscribendis feciſſe: Plurimis, inquam: quis enim omnibus placere potest? Pistander itaque ipse (dum me, quid dico me? imó universos philosophiæ operam navantes arrogantiæ accusat) arrogans non dico, impudens uel plus quám desipiens opinor fuit

in istis scommatib. suis proferendis, & iniquissimum simul literariæ reipublicæ privilegiorum direptorem se esse ostendit. At quid hæc ad Theologos, Jureconsultos, Medicos, alios ve de Magicis mulieribus disceptantes attinent? Nihil hæ Pistandri cavillationes ad propositam á me materiam refellendam fecerunt. Rhetorem deinceps me, Gorgia Leontino & aliis quorum nomen ob impudentiam passim exosum sit, impudentiorem vocavit, ob verborum copiam, & modificatas, ut ait, hinc inde locutiones. Certe Gorgias ille Leontinus quanti fuerit apud veteres, Plato confessus est, illius nomine Dialogum suum de Rhetorica inscribens, & simul Socratē copiosissimè contra ejus opiniones quasdam disserētem introducens. Sed quisquis ille fuerit: ego tamē nunquam hoc animo fui, ut quod falsum essē deprehendissem, aliis quavis ratione, sicuti de Leontino fertur, persuadere cogitaverim. Absit á me, falsum aliquid, quod nimirum tale esse sciam, proponere; & pro vero divendere velle. Abfuit hoc à me semper. Nihil sane aliud Pistander hac ipsa calumnia declaravit, nisi se usum artis Rhetoricæ in Tropicis & figuratis dictionibus respuere & auersari, & ipsam artem omnibus utilissimam contemnere. Sed hæc finem habeant. Quid verō, ut teipsum Pistander alloquar, quid tibi quæso in mentem venit, ut cúm alia utiliora quæ scriberes, minimé tibi in promptu essent, in nomen meum tam acerbé invehereris? Quid verō illud quod corporis denique mei constitutionem & vitam simul perstringeres? Qualem hoc tuum animum declarat?

Quam

Quam cordis ſtupiditatem dicere volebam, te aliis aperire non puduit? Quæ nam hæc invere-cundia tua? Accuſas ne corporis aliorum quantitatem? Accuſa naturam illius architectatricem. Quis enim peritiſſimorum inter mortales artificum corpori ſuo vel ulnam addere poteſt? O ſtupidiſſimum te & inſulſiſſimum obtrectatorem! Cogitaſſes potius illud Evangeliſtæ, Sal ſit in vobis, & pacem tamen colite. Quid exprobras aliis, quæ nemini vitio verti poſſunt, aut quæ ſi adſint hominibus, corrigere impoſſibile eſt? Et quid de vita mea tibi cognitum eſt? An familiaritatem & jucundam cum aliis converſationem fortaſſe accuſabis? At hoc inſigne in te μισανθρωπίας argumentum eſt. An inhoneſtatem aliquam & vitæ turpitudinē intellexiſti? At nullam in me notare potuiſti. Vita mea (hoc enim verè gloriari queo) ſi non multis profuit, nemini tamen hucuſque noxia fuit, neque idcirco ullis moleſta eſſe debuit. Is ego ſum & deinceps ero, qui ſecundum gratiam & pro menſura beneficiorum, quæ mihi DEUS pater cæleſtis benigniſſimus, largietur aut in poſterum contributurus eſt, cunctis pro virili prodeſſe, aut certe neminem lædere cupiam. Quæ in ſcriptis meis hucuſq; divulgavi: ſpe commodi quod ad rempublicam inde redundare viſum eſt, omnia in lucem edita ſunt: & ea præſertim quæ rem Sagarum in diſputationibus meis concernunt. Judices autem & ad reipublicæ gubernacula ſedentes alii præfecti videant, ne in hiſce dijudicandis controverſiis vel in defectu vel in exceſſu delinquant. At quid hæc tam copioſe? Omnes ejus-

modi malignitates, & iniuriæ, quæ ex cerebri tui pravitate provenerunt. Phrenitidi forsan in me eo tempore quo illas effudisti, redundanti, ex parte condonari possunt. Aliter enim si non delipuisse haud dubié scripsisses. Neque etiam hæc benevolum puto lectorem movebunt, quó minus dictis meis aut ipsis rebus abs me traditis fidem habiturus sit.

ΤΕΛΟΣ.